



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

Illvstriss. Ac Reverendiss. D.D. Cynthio Aldobrandino S.R.E. Tit. S. Georgii
As Velvm Avrevm, Cardinali Domino Patrono suo clementiſſimo. S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

CYNTHIO ALDOBRAN-
DINO S. R. E. TIT. S. GEORGII
AD VELVM AVREVM,

CARDINALI DOMINO PATRONO
suo clementissimo. S.

ILLVSTRISSIME ac Reuerendissime Domine, Ruinam afflictae Germaniae omnes deploramus. Aliqui ex nostris remedia quarunt: sed fortitudine & virili animo antiquorum Germanorum destituti, pharmacum phreneticis in particulari, ipsis reluctantibus indiuiduis infundere metuunt. Hos considerare oporteret pestem à Ciuitate non recessuram, si medicus homini in pariete picto proponat Thyriacam: nisi enim contagione infectos Petrum, Paulum, Ioannem Marcum, accedat, & quantumcunque febris ardore insanientium ulcera secari & mundari faciat, putrescent corpora singulorum eoque donec omnes morbo correpti, tota Ciuitas periisse dicatur.

In omni verò rectè & perfectè curandi modo ipsas morborum causas cum primis inuestigare & omni conatu remouere conuenit. Hinc sanctè & iuste, vera & verè piamater Sancta Romana Ecclesia causas cur misera Germania filia olim obsequentissima ita decumbat, indefesso studio cognoscere, illasque infirmis, olim robore potentissimis Germanis ante oculos sepius proponere non intermittit. Vt multa praeceam: In proximis Comitibus Ratisponen. sub Anno M. D. XCIIII. Imperante inuictissimo Rudolpho II. Rom. Imperatore, Illustrissimus ac Reuerendissimus D. D. Cardinalis Madrutius Sanctissimi Domini Nostri de latere Legatus, causis Ruinae Ecclesiarum Germania quasi in unum fasciculum congestis, paterna sollicitudine presentibus Prelatis exhibuit, absentibus transmisit, certos articulos, & quibus omnium malorum, quae nos premunt originem & fomentum quilibet clarè intueri valet: ubi inter alias ruina huiusmodi causas ponitur, quod prouisiones Apostolica non ubique iuxta CONCORDATA admittantur, & sepe excludantur. Hæc profectò causa mihi multis aliis videtur potior, & potiori consideratione dignissima. Si namque Romana Ecclesia est mater nostra, fieri omnino non potest, ut filiam eius, Germaniam dico, florentem videamus, quandiu piissime matris nedum mandata respuit, sed & circa Concordata ac pacta in ita fidem adeoque ius gentium violare non erubescit

*erubescit. Dum super horum summe necessaria obseruantia cum multu
 doctrina conspicuis viris non raro per Germaniam colloquia conferrem plu-
 res (inter quos cum primis fuit nobilis, iustitiaeque eximius ac strenuus
 zelator D. Ioannes Hildebrandus Meckerus, superioribus annis Esseien-
 sium Principum & Episcoporum Cancellarius integerrimus, nunc S. Caf.
 Maieitati ab arcanis Consiliis &c.) à me verum & incorruptum tenorem
 eorundem Concordatorum petierunt. Quibus aliter satisfacere non potui,
 quam transmittendo Colonicense non tamen sine mendis impressum exem-
 plar: cum simul viderem passim per Germaniam corruptissima extare ex-
 emplaria, quaedam impiis glossis peruersorum hominum, quaedam alijs sic
 inuersa, ut quibusdam venenum pro melle sugentibus, omniaque in fini-
 ssum sensum detorquentibus, plerasque ritè factas Apostolicas prouisiones,
 ex ipsismet Concordatorum male acceptis verbis, impugnandi esset occasio.
 Ab eo tempore cogitavi opere precium fore, si dicta CONCORDATA ad-
 iunctis ad ea pertinentibus Apostolicis constitutionibus, & decisionibus, ma-
 gis correcta prodirent: Utque in hoc laborem aliquem pro mea tenuitate
 impenderem, sapius exoptavi tempus opportunum, quod in turbulenti hu-
 ius saeculi procellis (quibus ego ultra modum exagitor) hucusque habere
 non potui. Cum tamen nuper Romani calores me angusto cubiculo inclu-
 sum detinerent, mihi que expectandum esset, donec viderem decretum in
 in causa mea, coram Illustrissima & Reuerendissima D. V. anno 98. intro-
 ducta, nunc verò per subrogatorem commisionem coram Illustrissimo ac Re-
 uerendissimo D. Pompeo Cardinale Arigonio pendente; cuius quaedam cau-
 se primum initium fuit impetratio certorum beneficiorum vigore dictorum
 Concordatorum seu alijs in Curia vacantium, quicquid super Concordata
 is huiusmodi inter scripturas meas, & in Bullario Roma impresso reperi,
 paruo hoc libello conscriptum, pro omnium Germanorum maiori commoda
 typis recudendum dare decreui. Sed in huius qualiscunque laboris editione,
 ponderata malignè obloquentium hominum multitudine, ad tranquillam
 portum alicuius potentis Patroni mihi confugiendum est. Alius praeter illu-
 strissimam ac Reuerendissimam D. V. non occurrit. Germania, & Germa-
 norum curam prudentissimo consilio Christi aeterni DEI Vicarius CLE-
 MENS Papa VIII. Illustrissima ac Reuerendissima D. V. demandauit.
 Horum ergo CONCORDATORVM defensio, & propagatio eidem Il-
 lustrissima ac Reuerendissima D. V. ipso iure incumbit. Quod si sua soler-
 ti vigilantia hoc obtinuerimus ut literati Germaniae viri liberè ad S. sedem
 Apostolicam accedere, & sine timore iuxta Concordata, cum debita exe-
 cutionis complemento, Apostolicarum prouisionum gratia gaudere possint,
 dubium*

dubium nullum est qui pristinus Germanarum Ecclesiarum splendor, & per amplissimam Germana nationem erga supremum Ecclesia caput debita obedientia, ac in omnib. obsequendi prompta voluntas denuo resurget. Nunc à me minimo seruulo hoc, quasi semen grati animi, Illustrissima ac Reuerendissima D. V. clementer accipere, ac piissima protectionis clypeo munire, meque sua benignitate ita fouere dignabitur, vt quem in extrema necessitate mea vnicum libertatis meae vindicem habui, eiusdem perpetuae defensionis & auxilij subsidio firmatus, reliquos vitae meae dies in seruitio Sanctae Sedis Apostolicae transigere valeam. Deus Illustrissimam ac Reuerendissimam D. V. nobis seruet: ac omnes Germanos sub eius felici Umbra respirare, & ad iustitiae fontem deductos, siti expleta, quiete optata perfrui concedat. Datum Romae 1. Ianuarij Anno Sancto 1609

Illustris. ac Reuerendis. D. V.

Humillimus seruus

Georgius Branden.

R. R. R. R.